



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

De Confessione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30233**

## DE CONFESIONE.



Confessionem ita tractat, ut in publicis criminibus, quæ sine confessione nota sunt toti populo, confessionem exigat, ubi minus est opus: occultorum vero confessionem ita versat lubricus, ut quæ non reiiciat prorsus, tamen relinquat incertum, an pro re iusta & demandata recipiat. Nam e scripturis eam negat probari, tamen placere sibi dicit, & utilem esse, ac necessariam, nec tamen dicit omnibus, sed ad pacandas duntaxat afflictas conscientias, opinor significans, quæ si quis habeat conscientiam suæ similem, quæ vel de sua sanctitate secura sit, vel de verbo promissionis diuinæ certa sit, ei non sit opus occultorum confessione. Alioqui si quis meticulosus sit, ad pacandam conscientiam confitendum esse. Quamobrem quoniã tam dubiè verba sua suspèdit, mihi visum est afferre quædam, quæ de necessitate confessionis loquuntur apertius. Et quia ex scripturis haberi negat occultorum confessionem, Primo loco proponam eum locum ex Ecclesiastico, *Ecclesi. 38.*

qui, non soli mihi, videtur omnes tres penitentiæ partes cõplecti. Fili, inquit, in tua

infirmate ne despicias te ipsum, sed adora dominum, & ipse curabit te. auerte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Curat enim deus dum soluit in caelo, quod sacerdos soluit in terra. dirigimus manus in satisfactione: auertimus a delicto per contritionem: cor vero a delicto in confessione mundamus, iuxta illud prophetae: Effundite coram illo corda vestra. Tres poenitentiae partes complectitur & Chrysostomus, quum ait, Perfecta poenitentia cogit peccator omnia libenter sufferre. Et infra, In corde eius contritio, in ore eius confessio, in opere tota humilitas, haec est fructifera poenitentia. Pro confessione facit & illud: Cognosce vultum peccatoris tui. Quomodo enim potest cognoscere, si non indicetur? Quid eo manifesti, quod legitur Numeri cap. 7. Locutus est dominus ad Moysen dicens, Loquere ad filios Israe'l: Vir siue mulier quum fecerit ex omnibus peccatis quae solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum. Huc & illud pertinet, quod in lege veteri Iudaeorum, quibus omnia contingebant in figu-

*Psal. 61.*

*Chrysostomus.*

*Prou. 27.*

*Numer. 5.*

*et alibi*

ra, populus infectus lepra iussus est se sacerdotibus ostendere. Nam si deus ideo scripsit in lege, Non alligabis os boui trituranti, vt nos admoneret æquum esse, vt qui altari seruit, de altari viueret (quæ admodum declarat apostolus, qui illud ait in lege scriptum, non propter boues, sed propter homines. Nunquid de bobus, inquit, cura est deo?) non est cur quisquam dubitet, per lepram illam corpoream in lege carnali, significatum esse peccatum in lege spirituali. In quam intelligentiam vt nos paulatim duceret Christus, ait leprosis, (quos dum irent, non à corporis tantum, sed ab animæ quoque lepra mundauit) Ite (inquit) ostendite vos sacerdotibus. Iam illud diui Jacobi, Confitemini alterutrū peccata vestra: etiam si nō nesciam alios aliō trahere, mihi certe (nec soli) videtur de sacramentali confessione mādatum. An non illud quoque facit aperte pro confessione, quod per Esaiam ait dominus: Tu dic iniquitates tuas, vt iustificeris? Quod si quid valere debet autoritas sanctorum patrū, valere debet in primis, quod ait beatus Ambrosius: Non potest quisquam iustificari à peccato, nisi peccatum ipsum fuerit confes-

*Leuiti. 17.**Deut. 25.**1. Cor. 9.**Luce. 17.**Iacob. 5.**Esaiæ. 43.**Ambrosi<sup>o</sup>.*

sus. Quid dici potest apertius? Præterea  
*Chryso-* Ioannes Chryfostomus; Non potest, in-  
*stus.* quit, gratiã dei accipere, nisi purgatus fue-  
 rit ab omni peccato per confessionẽ. De-  
*Augustin* niq; beat<sup>9</sup> Augustinus, Agite pœnitentiã  
 qualis agitur in ecclesia. Nemo dicat sibi,  
 occulte ago, quia apud deũ ago. Ergo sine  
*Matth. 18.* causa dictum est, Quæ solueritis super ter-  
*Matth. 16.* ram. Ergo sine causa clauẽs datæ sunt. Ve-  
 rum de confessione si verbũ nullum neq;  
 nominatim neque in figura legeretur, ne-  
 que quicquã à sanctis patribus diceretur,  
 tamẽ quũ videam totũ populũ tot seculis  
 peccata sua patefacere sacerdotibus, quũ  
 (ex ea re tam assidue videam tantum boni  
 prouentum, tam nihil enatum mali, aliud  
 neq; credere neq; cogitare possũm, quã  
 eam rem non humano cõsilio, sed diuino  
 plane mandato & constitutam esse, & con-  
 seruata. Neq; enim vlla humana autho-  
 ritate populus vnquam potuisset adduci,  
 vt occultissima scelera, quorũ tacitam cõ-  
 scientiã horrebãt, quæ ne prodirent in lu-  
 cem, tãti referebat ipsorũ, in alienas aures  
 posset quũ velle prodere, tãto cum pũdo-  
 re, tãto cũ periculo tam incuactãter effun-  
 deret. Neq; fieri potuisse, quũ tam nume-

*Solida con-*  
*firmatio cõ-*  
*fessiois clã-*  
*cularie.*

*Argumen-*

rosi presbyteri boni maliq; promiscue cō-  
fessiones audiant, vt audita continerent  
etiā ij qui aliàs nihil cōtinent, nisi deus ip-  
se, qui sacramentū instituit, rem tam salu-  
brem speciali gratia defenderet. Mihi er-  
go, quicquid ait Lutherus, non ex aliqua  
populi consuetudine, nec ex institutione  
patrum, sed ab ipso deo videtur instituta  
& præseruata confessio.

Iam quod Lutherus reservationes pec-  
catorum damnat, per quas interdicitur ne  
quilibet sacerdos remittat omnia, sed que-  
dam episcopi requirant manum, quædam  
etiâ papæ: istuc spectat, q̄ homo popula-  
ris sic exæquat omnia, vt summi pontificis  
odio, pōtiffices omnes in classem cogat in-  
firmorum sacerdotum: tam cæcus odio, vt  
iurisdictionem non discernat ab ordine:  
immo verò multo adhuc cæcior, vt qui  
nec ordinem videat vllum, sed omnia pla-  
ne permisceat & confundat horrore, sa-  
cerdotesq; ipsos prorsus in laicorum  
classem redigat. Quum deus ecclesiam  
hanc militantem, ad exemplar triumphan-  
tis effuxerit, cur tot gradus, tot ordines le-  
gēs illic, nullum gradum, nullum ordinē,  
nullum prorsus discrimen admittit hic?

*tū non imo  
probabilis.*

*Lutherus  
omnia con-  
fundit.*

• cui non sit  
• ecclesiasticus

*Ratio ad-  
versus Lu-  
therū pro  
episcoporū  
authorita-  
te, ut refer-  
unt pec-  
cata.*

• similis  
• etiam in  
• ecclesiis

Quorsum igitur tam multa scripsit apo-  
stolus de episcopis, si nihil iuris in gre-  
gē suum plusquam sacerdotes reliqui, ni-  
hil plusquam laicus quiuis haberet epi-  
scopus? Sed de laicis dicemus postea, in-  
terim de sacerdote dicamus. Sacerdos  
quilibet ordinem quidem habet, sed au-  
thoritatem iudicandi non habet (quæ res  
ad absolventem pertinet) priusquam ei  
gregis alicuius cura committitur: idoneus  
tamen antè reputatur, cui cura tutò possit  
committi. Episcopus ergo, qui curam ha-  
bet totius diœcesis, si cui sacerdoti partē  
quampiam suæ curæ commiserit, an non  
ipsa ratio docet hunc non amplius aut li-  
gare posse aut solvere, nisi quatenus ille  
permiserit, sine cuius mandato nihil om-  
nino in illius populo vel ligare quem-  
quam, vel solvere potuisset? Quippe, quod  
nec ipsi licebat episcopo in aliena diœce-  
si. Quid ergo miri est, si quædam sibi re-  
feruat episcopus, quorum curam putat es-  
se maiorem, quàm ut cuilibet possit (etiā  
non imperito) committi? Quod quum  
tot seculis observatum sit, ne populus ni-  
mis facili proposita remissionis facultate,  
proclivius in scelera prolaberetur: Lu-

th  
cu  
de  
fac  
pr  
lie  
ra  
lie  
bu  
mi  
cer  
ter  
ter  
ess  
pa  
A  
cla  
ve  
al  
ni  
off  
fac  
co  
mu  
tib  
fit  
hu

therus nunc demum, ne quisquam difficultate pœnitentiæ deterreretur à peccando, quidlibet iubet permitti cuilibet, non sacerdoti modo, sed etiam laico, in tantum progressus ineptiæ, ut quum vulgo mulieres male audiant quasi parum probe taceant si quid audierint secretius, ille mulieres etiam velit viris esse à confessionibus. At mulierem quum docere non permittat Apostolus, non eligit opinor in sacerdotem Lutherus, qui nisi prædicantem, negat ferme quenquam esse sacerdotem. At sacerdoti tantum confitendum esse, (nisi necessitas ingruat) sanctorum patrum declarat sententia. Veniat, inquit Augustinus, ad Antistites, per quos illi claves ministrantur ecclesiæ. Non dicit, veniat ad laicos, veniat ad mulieres. Item alibi dicit apertius: Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat: repræsentet vitam suam deo per sacerdotem. præueniat iudicium dei per confessionem. Præcepit enim dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata. Item Leo papa. Christus hinc præpositis ecclesiæ tradidit pote-

*Lutherus  
etiam mulieribus auctoritatem permittit audiendi confessiones.*

*1 Tim. 2.  
Patrū auctoritas aduersus Lutherum.*

*Augustinus.*

*Lucæ. 17.*

*Leo papa.*

*Beda.*

statem, vt confitentibus poenitentiae satisfactionem darent. Denique venerabilis Beda: Coequalibus quotidiana & leuia, grauiora vero sacerdotibus pandamus, & quanto iusserint tempore purgare curemus, quia sine confessione peccata nequeunt dimitti. Praterea quid prodesset confessio, nisi per clauis ecclesiae sequeretur absolutio? At hoc ius, inquit

*Ambrosi.*

Ambrosius, solis permillum est sacerdotibus. Quod quomodo velit intelligi, declarat alibi, quum dicit, Verbum dei dimittit peccata, sacerdos est iudex. Alio

*Augusti.*

item loco scribit Augustinus apertissime: Frustratur clauis ecclesiae, qui sine sacerdotis arbitrio poenitentiam agit. Nunc igitur iudicet quisque quam uerentit Lutherus, qui contra sanctorum omnium sententiam, clauis ecclesiae trahit ad laicos, trahit ad mulieres: & ait, uerba Christi, Quaecumque ligaueritis &c. non sacerdotibus tantum, sed omnibus dicta

*M. Aemilius Scaurus.*

fidelibus. M. Aemilius Scaurus uir clarissimus, & exploratae probitatis, Romae quum a Vario Surocensi, homine parum sincero, accusaretur apud populum, & accusator oratione longa perorasset,

ille  
scio  
der  
ait  
cre  
pla  
nis  
Qu  
sa  
gru  
laic  
gat  
Lut  
den  
bro  
Der  
fia:  
At  
ther  
tenc  
illuc  
quo  
dij  
prof  
men  
rem  
ribu  
910

ille breuiter; & sua & populi fretus con-  
 scientia, non dignatus oratione conten-  
 dere, Quirites, inquit, Varius Sucionensis  
 ait, Aemilius Scaurus negat: vtri potius  
 credendum censetis? Quibus verbis ap-  
 plaudente populo, vir honoratus, homi-  
 nis nihili futilem accusationem elusit.  
 Quæ percontatio non illic magis mihi vi-  
 sa est, quàm in præsentè quæstione con-  
 gruere. Nam verba Christi de clauibus,  
 laicis dicta Lutherus ait, Augustinus ne-  
 gat: vtri magis credendum esse censetis?  
 Lutherus ait, negat Beda: vtri magis cre-  
 dendum censetis? Lutherus ait, negat Am-  
 brosius: vtri magis credendum censetis?  
 Denique Lutherus ait, tota negat eccle-  
 sia: vtri magis censetis esse credendum?  
 At si quis adeo desipiât, vt authore Lu-  
 thero; mulieri quoque putet esse confi-  
 tendum, huic non inutile fortasse fuerit  
 illud alterum Lutheri dogma suscipere,  
 quo suadet non adhibendum multum stu-  
 dij ad recogitanda peccata. Non expedit  
 profecto nimis anxie multa reuocare in  
 memoriam, vt omnia in eius infundat au-  
 rem; quæ peruiam & patulam viam ab au-  
 ribus habet ad linguam. Alioqui, quum

*Mulieres  
 quas Luthe-  
 rus statuit  
 à confessio-  
 nibus, vi-  
 maris sunt  
 plene.*

*Esaiæ. 38.*

*Ambrosius.*

*Gregorius.*

*Augustinus.*

*Confitenda  
peccatorū  
circumstan-  
tiæ.*

res fieri potest absque tali periculo; non dubitem Lutheri cōsilio exemplum prophetae praponere, qui dicit: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine. Omnes, inquit, annos meos, sed in amaritudine. Talis enim confessio non solum præterita diluit, sed nouam etiam parit vbertim gratiam, iuxta illud Ambrosij: Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Quæsecutus Gregorius, Fit, inquit, plerunque gratior deo, amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia. Nam quum Lutherus ociosos homines appellet, qui censuerunt confitendas peccatorum circumstantias, Augustinus longe censet aliter. Consideret, inquit Augustinus, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, an ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim poenitere fornicatorem secundum excellentiam sui status vel officij, & secundum modum meretricis, & modum operis sui, & qualiter turpitudinem peregit, si in loco sacro, si in tempore

tempore orationi constituto, vt sunt festiuitates, & tempora ieiunij. Consideret quantum perseuerauerit, & doleat, quàm perseueranter peccauerit, & quanta victus fuerit oppugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed etiam vltro se peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præueniunt voluptatem. It pertractet secum, quàm multiplici actione vitij, quàm delectabiliter peccauit. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda: vt quū cognouerit quod peccatum est, cito inueniat deum sibi propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inueniat se cuius ætatis fuerit, cuius sapientiæ & ordinis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitij. Hactenus Augustinus. Quo vno haud scio an reperiat quemquam Lutherus ex his quos ociosos vocat, qui diligentius enumerarit peccatorū circūstātiās: ne putet Lutherus circūstātiarū nihil quicquā ad cōfessionē pertinere. Quòd si eiusdē peccati variæ circūstātiæ sint, quoad possumus, in memoriā reuocāda, quanto magis graua & diuersa crimina colligen-

da sunt, & diligenter excutienda consciētia, vt si fieri possit, nullum nobis patiamur excidere? Nam quod Lutherus velut acutissimum telum conicit, neminem posse omnia peccata confiteri, propterea quòd nemo potest omnium recordari, telum est obtusissimum. Quis enim nescit, neminem, qui dixit omnia peccata confitenda fuisse, tam stolidum, vt senserit etiā illa sacerdoti narranda in aurem, quæ cōfidenti non venissent in mentem?

DE SATISFACTIONE.

*Lutherus  
tam ver-  
borū pro-  
digus, vt  
malit mul-  
tis verbis  
nihil dice-  
re, quā ta-  
cere.*

*Lutheri spi-  
ritus, qui il-  
lum secre-  
torum ad-  
monuit,*



DE satisfactione nescio an satisfaciatur aliis, mihi profecto videtur potius quā taceret, maluisse multis verbis nihil dicere. Nam primum quod ait ecclesiam sic docere satisfactionem, vt populus veram satisfactionem non intelligat vnquam, quæ est innouatio vitæ, quis non videt meram esse calumniam? Quis Lutherum docuit ecclesiam non docere, innouandam esse vitam? Totam non peragravit ecclesiam, non omnibus interfuit